

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R). Amen.

ÿ. Dominus vobiscum:

R). Et cum spiritu tuo.

ÿ. Benedicamus Domino:

R). Deo gratias.

1561. Postea omnibus dabit benedictionem, dicens ut in fine Missae: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. R). Amen.*

Tunc omnes recedunt, et emissio vötorum in libro professionis postea adnotabitur.

1562. Si eodem tempore vestitio facienda sit atque professio, tunc caeremoniae fiunt sequenti modo: Primo Sacerdos observat omnia, quae dicta sunt supra in vestitione Fratrum, usque ad benedictionem vestimentorum. Deinde cantatur Hymnus *Veni Creator* cum *ÿ.* et Oratione, ut supra in professione. Oratione dicta, benedicit vestimenta et procedit ad vestitionem. Dicta Oratione *Deus, qui mira Crucis* etc., Sacerdos se vertit ad illos, qui profiteri debent, et excipit eorum professionem, ut supra indicatum est, ita ut tam Novitius, quam neo-Professus osculum pacis a Religiosis accipiat sub Ps. *Ecce quam bonum.*

CAPUT II.

DE RENOVATIONE S. PROFESSIONIS.

§ I. — *De renovatione s. professionis quotannis die 6 Ianuarii facienda occasione dedicationis totius Ordinis SSmo Cordi Iesu¹.*

1563. Opportune diebus nostris facta est perpetua dedicatio Ordinis nostri SSmo Cordi Iesu, ut tota familia nostra a periculis liberaretur, et nos omnes digniores effici mereremur promissionibus B. Margaritae Alacoque factis in favorem Sacerdotum et Congregationum Regularium ad zelum efficacem reddendum et observantiam regularem servandam et restituendam².

1564. Perpulchre cum hac solenni dedicatione renovatio professionis coniungitur, ita ut utraque functio unam tantum constituat. Sequentia observanda veniunt.

1565. Die 6 Ianuarii, post Missam conventualem aut alia hora magis opportuna, exposito de more

¹ Vide Analecta Ordinis, vol. III, pag. 10. — Dies in quibus simili modo, ut hic notatur, professio renovari solet, sunt dies 16 Aprilis et 29 Novembris.

² Indulgentiae ob renovationem dedicationis concessae: 1. Plenaria omnibus Fratribus (poenitentibus, confessis et S. Synaxi reffectis) renovantibus professionem in festo Epiphaniae D. N. Iesu Christi; 2. Septem annorum singulis primis sextis Feriis cuiuslibet mensis, omnibus Fratribus professionem renovantibus (Pius IX: 7 Octob. 1873, et 14 Ianuar. 1874).

SSmō Sacramento, genuflexis Fratribus in gyro ante SSmum Sacramentum cum cereis accensis in manibus, Superior aut alius ex dignioribus Patribus in infimo gradu Altaris genuflexus, sacris indutus pro expositione paramentis, sequentem actum consecrationis clara et omnibus intelligibili voce recitat:

ACTUS CONSECRATIONIS.

En ego, o divinissimum Cor Iesu mei, appareo coram realem Tuam praesentiam in hoc Altaris Sacramento, in quo Te, ut suum Creatorem et Glorificatorem circumdant Cherubim et Seraphim incessabili voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus! Et ego Frater N. me coniungo cum illis et Te benedico et adoro ut meum Salvatorem, Patrem et Sponsum animae meae, quam pretiosissimo Tuo sanguine redemisti. Deus infinitae bonitatis! Quid est homo, ut illum adeo diligas et illius recordatus fueris a diebus aeternitatis? Pro ipso dimisisti Tuum coelestem Thronum, descendens de coelis, ut Te exinanires et assumes miseras humanas. Pro ipso sustinuisti gravissimas ignominias et iniurias ab ipsis hominibus Tibi illatas, qui atrocissimis tormentis et doloribus Te dilaniarunt, ita ut ne minima quidem pars innocentissimi Tui corporis illaesa permanserit. Pro homine voluisti fieri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et tamen haud sufficiens hoc Tibi fuit. Tenerum Cor Tuum, ardentissima charitate inflammatum, antequam morereris Te adegit, ut perpetuum et pretiosissimum Tui amoris pignus nobis derelinqueres, ideo voluisti Te abscondere sub speciebus panis et vini, ut cibus et potus noster esse possis cum Tuo corpore et

cum Tuo sanguine, cum humanitate et Divinitate tua, et sic permanere cum hominibus in sacrosancto Tuo Sacramento usque ad consummationem saeculi.

Sanctissimum Cor Iesu mei! ineffabili stupore abripior, si attentius considero immensa et inaudita prodigia a Te operata, non alia ex causa quam ut me ames, sine ullo tuo emolumento, et nisi ut me eodem in Te amore accendas. Ast hucusque infinito tuo amori non respondi nisi cum indifferentia, frigore et ingratitude. Supra miseras et praevaricationes cordis mei vivissimo dolore penetratus, humillime veniam peto, desiderio flagrans illud cum omnibus suis cupiditatibus, affectibus et suspiriis Tibi consecrandi. Sed ante omnia, mi Deus, rogo cum regio Propheta, ut novum cor in me creare digneris: Cor mundum crea in me, Deus. Desidero tale cor, quod Te dignum sit, et Tuum maneat in sempiternum. Cor novum, omnimode avulsum ab omnibus, quae Tibi displicent, cor omnino vacuum ab amore proprio, et sine interruptione Tuo amore accensum, cor humile, obediens, sincerum et fidele in servanda promissione, mediantibus tribus votis obedientiae, paupertatis et castitatis, Tibi facta, quam nunc renovo, cum proposito illam servandi usque ad finem vitae meae. Confixus his tribus votis, ut in cruce pendens ex amore mei confixus fuisti tribus clavibus, Tibi offero ex amore Tui hoc meum cor, dedico et consecro Sacratissimo Tuo Cordi una cum universo meo Instituto Seraphico, quod fervidissime Tibi commendo. O conserva illud, prout iam promisisti servo tuo Francisco, et si filii ipsius imitati fuerint praeclara eius exempla, converte oculos tuos ad ipsos, et subleva eos manu tua potenti. Non minus Tibi commendo dilectam Tuam sponsam, Catholicam Ecclesiam,

et supremum ipsius caput, Vicarium Tuum visibilem in terris, accelera huius et istius triumphum et gloriam, quae tua omnino gloria est. Amen.

Vel etiam:

O Divinum Cor Iesu, in Sanctissimo Sacramento realiter praesens, nos B. Patriarchae Francisci Filii, coram Te genuflexi, cultum nostrae adorationis, amoris et gratitudinis nostrae offerimus. Haud immemores insignis dilectionis, qua ab aeterno nos indesinenter persecutus es, vitaeque tuae aerumnis, labore et dolore refertae, quam in Cruce pro nobis immolasti, et quotidie in Altaris Sacramento adhuc offers, profundissime humiliamur et operimur confusione, propter peccata et ingratitude nostram, necnon propter tantam erga nos Tuam bonitatem. O Divinum Cor Iesu! liceat nobis hodie saltem, nostram gratitudinem, fidelitatem et sincerum amorem publice testari. Ideo etsi de indignitate nostra conscii, absque ulla restrictione, Sacratissimo Cordi Tuo nosmetipsos consecramus. Publica hac manifestatione, sint Tibi personae nostrae, Praelati nostri et quicumque sacro Seraphico Ordini adnumerantur, totaliter consecrati! Pia desideria nostra et vota renovantes, protestamur, nos in posterum, absque ulla exceptione et irrevocabiliter Tibi velle esse sacros. O Cor Iesu, Tu solum animam nostram et corpus nostrum, intellectum nostrum et voluntatem posside! Quaecumque facimus aut valemus tua sunt, et si necesse est, vita nostra immoletur et sanguis pro Te fundatur! Exemplum Beati Patris et Ducis et stigmata ferentis D. Francisci Assisiatis sectantes, in mediis tenebris et in tribulationibus, quibus servi tui circumveniuntur, ad vulnus sacrum adorandi Cordis Tui confugimus. Ordini

Seraphico zelum et plenitudinem paupertatis, poenitentiae et humilitatis conserva, contra diabolicas et mundi insidias eum protege, abundantiam gratiae Tuae ipsi concede. O bone Iesu! dignare benigne accipere hanc Ordinis nostri consecrationem, quam Tuo Sacratissimo Cordi offerimus per manus Matris ac Protectricis nostrae Mariae immaculate conceptae. Tribue nobis fideliter usque ad mortem in hac perseverare, ut illius fructus tandem in felici aeternitate consequamur. Ideo: Ego Frater N. voveo et promitto Deo Omnipotenti, et Beatae Mariae Virgini, et Beato Francisco et omnibus Sanctis, (et tibi Pater): toto tempore vitae meae servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam: vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Amen.

1566. Facta hac dedicatione et prolata professione, quam omnes Fratres submissa voce simul cum Sacerdote renovant, omnes surgant, et intonato *Te Deum* alternatim cum gravitate Hymnum prosequantur. Quo finito omnes subiungunt

ANTHIPHONAM:

Respice, B. P. N. Francisce, de excelso coelorum habitaculo et deprecare pro populo tuo: populo, quem elegisti, ut serviat coram te omni tempore in ministerio Sanctuarii Domini.

Ÿ. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis:*

R). *A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.*

Ÿ. *Post partum, Virgo, inviolata permansisti:*

R). *Dei Genitrix, intercede pro nobis.*

Ÿ. *Ora pro nobis, Beate Pater noster Francisce:*

R). *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMUS.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus praestas auditum: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis.

Fac nos, Domine Iesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari: ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae Redemptionis mereamur esse participes.

Defende, quaesumus Domine, B. Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Deus, qui Ecclesiam tuam B. P. N. Francisci meritis foetu novae prolis amplificas, tribue nobis, ex eius imitatione terrena desplicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere.

Deus, omnium fidelium Pastor et Rector, Famulum tuum N., quem Pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

1567. Dictis his Orationibus, Sacerdos intonat Hymnum *Tantum ergo* etc., et datur benedictio cum SSmo Sacramento more solito: qua data et SSmo Sa-

cramento in Tabernaculo recondito, Sacerdos antequam discedat, in infimo gradu Altaris genuflexus, ter dicit, quod ab omnibus repetatur:

Cor Iesu sacratissimum, miserere nobis.

§ II. — *De renovatione s. professionis occasione Iubilaei.*

1568. Iubilaeum vitae religiosae quinquagenarium, quo s. professio renovatur, sequenti modo et ritu celebrari potest.

1569. Habito consensu Superiorum pro celebratione Iubilaei, die et hora constituta, Religiosi processionaliter pergunt ad refectorium, ubi Iubilaturus superpelliceo indutus, si est Sacerdos, ipsos una cum aliis Iubilariis, si sint, exspectat. Praecedit Crucifer superpelliceo indutus, inter duos Ceroferarios similiter indutos. Sequuntur Religiosi bini, tandem Superior aut saltem dignior Sacerdotum superpelliceo indutus, medius inter duos Acolythos.

1570. Iubilaturo a Superiore aliquibus verbis salutato, processio ordine quo venerat ad Ecclesiam per portam maiorem revertitur. Patres seniores sequitur Iubilaturus cum aliis Iubilariis, si adsint; ultimo loco Superior cum duobus Clericis. In via alternatim recitatur Ps. 121: *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi* etc.

1571. Cum omnes ad Sanctuarium pervenerint, Frater Iubilarius in genuflexorio genuflectit ante Altare, et omnibus circumstantibus, Superior stans Iubilato verba sequentia dicit:

Frater, quid postulas?

Frater Iubilatus respondet:

Pater, postulo a Deo remissionem omnium negligentiarum, quas in Ordine commisi, et quarum toto corde poeniteo. Postulo gratiam a novo incipiendi et in bono toto tempore vitae meae perseverandi.

1572. Tunc brevi exhortatione seu sermone ad rem a Superiore facta, cantatur Hymnus *Veni Creator*, (vide num. 1535) cum Versu et Oratione sequentibus:

Ÿ. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:*

R). *Et renovabis faciem terrae.*

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

R). *Amen.*

1573. Superior rursum petit:

Frater, quid postulas adhuc?

Frater Iubilatus respondet:

Pater, postulo favorem renovandi professionem, et me totum Domino nostro Iesu Christo strictius consecrandi.

Tunc genuflectens in suppedaneo Altaris, renovat professionem dicens:

Gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pro gratia singulari, qua me vilissimum peccatorem de hoc saeculo nequam eduxisti et in hoc religiosissimo Ordine ad solemnem professionem admisisti.

Doleo ex toto corde, quod gratiae huic non satis responderim, et pro tanto beneficio ingratus fuerim. De-

testor omnes negligentias in hoc statu commissas, quod tam parum ad eius perfectionem aspiraverim. Ignosce mihi Deus veniae largitor, et da, ut vel nunc tandem tua gratia incipiam, sicuti ex animo cupio, propono et desidero. Quod si me votis necdum tuae Maiestati obstrinxissem, nunc sane id facerem, ideoque, quanta devotione possum, illa nunc renovo, illisque meipsum tibi in unione sacrosanctae oblationis, qua te ipsum pro nobis a primo sanctissimae Incarnationis tuae instanti ad mortem usque Patri obtulisti, immolo, et novo fervore voveo et promitto Deo omnipotenti, et beatæ Virginis Mariæ, et beato Francisco, et omnibus Sanctis, et tibi Pater, toto tempore vitae meae servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam: vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.

Veruntamen, quia ad hæc implenda me nimis tepidum et infirmum agnosco, rogo te, misericordissime Iesu, ut qui dedisti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem, meque ita dirigas, ut non mihi, sed tibi soli vivam, omnesque Ordinis observantias et quicquid animæ meæ perfectionem promovere potest, summo studio amplectar ad maiorem Nominis tui gloriam, qui es Deus benedictus in saecula. Amen¹.

Reliqua ut n. 1556 et seq. peraguntur ut in die professionis.

1574. Deinde, si Sacerdos sit, sacra vestimenta induit ad Missam celebrandam, aut si Missam celebrare non velit aut non sit Sacerdos, alius ex Sacerdotibus Missam celebrabit.

¹ Via Franciscana, Oeniponte, 1882.

1575. Missa absoluta, ipse Celebrans intonat Hymnum *Te Deum*, quem Fratres prosequantur. Deinde dicit:

☩. *Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu:*

R). *Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.*

OREMUS.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas: Per Christum Dominum nostrum.

R). *Amen.*

1576. Oratione finita, omnes ad Sacristiam se conferunt. Postea Fratres Iubilatio congratulantur de Iubilatio celebrato.

CAPUT III.

DE RITU SEU MODO RECIPIENDI PRAELATOS
IN ECCLESIIS ET DOMIBUS NOSTRIS.

§ I. — *De receptione Praelati, seu Legati* ¹.

1577. Altare SS^mi Sacramenti paramentis coloris tempori congruentis decenter ornabitur, ac super illud sex accendentur cerei. Praeparabitur item coram illo

¹ Ex Pontificali Romano. Sed hoc intelligendum de primo ingressu Praelati aut Legati Apostolici in locum suae iurisdictionis, aut quando venit ut Visitator Apostolicus.

faldistorium vel genuflexorium cum suo tapeti et pulvinis. Ad ingressum pulsetur campana pleno tractu.

1578. Cum Praelatus, vel Legatus Ecclesiam est ingressurus, processio Fratrum cum Cruce procedit illi obviam extra fores Ecclesiae, et cum Legatus sive Praelatus advenerit, Superior superpelliceo sed sine Stola indutus, offert venienti Crucem osculandam, quam Legatus super tapete stratum genuflexus devote osculatur.

1579. Tunc si intrans est episcopali caractere insignitus, aut Presbyter Cardinalis, Cantores incipiunt et consequuntur Antiphonam:

Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, sic placuisti Domino.

Vel dicunt Responsorium:

*Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: * Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. ☩. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput eius. * Ideo. Gloria Patri. * Ideo.*

1580. Si vero Legatus recipiendus non sit Sacerdos, licet Diaconus Cardinalis, cantatur Responsorium:

*Fidelis namque et prudens dispensator in magni Patrisfamilias domo constitutus erat: * Ut conservis suis mensuram erogaret. ☩. Pro salute et augmento gregis sibi commissi cura pervigili sollicitus erat. * Ut conservis.*

1581. Si autem duo vel plures reciperentur Legati, etiam si non essent Episcopi vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona:

Vos estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.